

» quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias, » ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium judicem recurrerit, teneatur acta omnia coram episcopo gesta ad judicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit judici appellationis significare.

» Et quamvis jure nobis timendam sit ne dicta praxis monendi judicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit, et a foro recesserit; attamen episcopus (ut dictum est) si ex causa sibi tantum, et non aliis nota, quæ tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit; illam judici appellationis, datis secreto litteris, denuntiet, et aperiat. Sciant porro judices delatas ab episcopo causas, et rationes, inviolabilis secreti fide esse custodiendas; nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest episcopos suæ non minus, quam alienæ salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione iudicii, odio vel favore moveantur; et in sacrorum canonum singularem injuriam, « dicant malum bonum, bonum malum, » ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.

» Si vero episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eadem revelanda censuerit hujusmodi occulta rationum momenta, illa significet secretis litteris S. R. E. cardinali præfecto pro tempore congregationis concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deest, quominus a iudice appellationis debitæ justitiæ locus tribuatur.

» § XVII. Præterea quia æquitati etiam convenit, causas appellationis, quæ magno litigantium dispendio, et ecclesiæ pernicie, immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari, ideo ubi a iudice appellationis lata sit sententia, quæ præelectioni factæ ab episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novæ appellationi aditus, sed auctoritate rei judicatæ controversiæ finis imponatur. Sin vero iudex appellationis aliter, quam ordinarius, pronuntiaverit, liceat præelecto ab episcopo, qui causa cecidit, ad alium judicem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiæ possessione. Tandem postquam tertius quoque iudex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, presertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est certi pastoris destitui solatio; is legitimum regendæ ecclesiæ jus obtineat, cui duæ conformes assistunt sententiæ, nec ullum novæ appellationis remedium succumbenti suffragetur.

» § XVIII. His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen præsidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticæ disciplinæ, ac recto gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debitæ executioni mandentur; eumque in scopum locorum ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferenda

quippe non esset ad nostri apostolatus auditum novas in diem deferri quærelas, ac submovendis abusibus novas implorari leges, ad iis qui jam præstitutas negligunt et contemnunt.

» § XIX. Demum cum non raro contingat ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus, aliaque beneficia curam animarum habentia, a Sede apostolica esse conferenda; vel quia recesserint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictæ Sedi reservata sint; nos prædecessorum nostrorum vestigiis inherentes, præcipimus, et mandamus, ut uno vel altero eveniente casu, concursus ab episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia, quam nostris hisce litteris sibi tributam episcopi intelligant.

» § XX. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis, quæ tantum ratione mensium reservata sint, episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et Datarie significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, ex alio quovis capite, quam mensium apostolicorum, S. Sedi reservata sint; eo sane casu, veteri non immutato more, absteat episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus ultro Datarie exhibeat.

» § XXI. Licebit tamen ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus litteris Datarie scriptis, eidem denuntiare personam, quam censent regendæ ecclesiæ magis idoneam, eundemque commonere, an occulta aliqua, et in actis justè reticita subsit causa, quæ cupiam obstet ad beneficium obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium principe, et magistra, luculento edocebimus exemplo quanti faciendum sit episcopale iudicium, quantoque vos honore prosequamur, venerabiles fratres, in partem nostræ sollicitudinis evocatos, quibus interim apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem die XIV decembris MDCCXLII, pontificatus nostri anno III.

ANIMADVERSIO XXV.

DE VISITATIONE AD APOSTOLORUM LIMINA ET DE RELATIONE ECCLESiarUM.

Instructio S. Congregationis concilii pro episcopis, archiepiscopis, primatibus et patriarchis, super modo conficiendi relationes statuum suarum ecclesiarum quas, occasione visitationis sacrorum liminum, eidem sacræ congregationi exhibere tenentur:

« Summus Pontifex Sixtus Papa quintus, qui tempora statuit, quibus singuli episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchæ per seipsos, vel per eorum certum nuntium visitare tenentur imina beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, antiquissimæ observantiæ inherendo, nedum voluit ut, ultra sacrorum liminum visitationem,

romano pro tempore Pontifici de toto eorum pastoralis officio, et de rebus omnibus ad ipsarum, quibus præsent, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus rationem redderent, uti fusius habetur in prædicti Pontificis constitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex*, sed in alia etiam constitutione, quæ incipit *Immensa æterni Dei*, sacræ congregationi, præpositæ interpretationi sacrosancti concilii Tridentini, curam demandavit, prædictam rationem, quæ dicitur relatio status ecclesiæ, perpendendi, et examinandi, ac postulatis, in eadem proponendis, respondendi.

» Sixtinæ hæ constitutiones suo non caruerunt effectu tum quoad sacrorum liminum visitationem, tum quoad relationem statuum ecclesiarum; sed cum nulla unquam edita fuerit instructio pro dictis relationibus exarandis, factum hinc est ut aliquæ ex eis aliquando fuerint exhibitæ abundantes in superfluis, et aliquæ aliquando deficientes in necessariis. Cumque ad hæc avertenda in synodo romana, hoc anno 1725, a Sanctissimo Domino nostro Benedicto Papa XIII, habita in basilica Lateranensi, præscriptum sit ut instructio, hactenus omissa, a sacræ concilii congregatione ederetur; hæc ideo instructio publici juris sit ut in relationibus statuum suarum ecclesiarum, ad eandem sac. congregationem in posterum transmittendis, curent episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ ipsi se conformare, et suas relationes ad quædam distincta capita reducere, quorum primum ad statum ecclesiæ materialem, secundum ad personam ipsius referentis, tertium ad clerum sæcularem, quartum ad clerum regularem, quintum ad moniales, sextum ad seminarium, septimum ad ecclesias, confraternitates, et loca pia, octavum ad populum, et ultimum denique referatur ad postulata, quæ ab ipso referente sacræ congregationi proponuntur.

» § I. De primo relationis capite, pertinente ad statum ecclesiæ materialem.

» In hoc primo relationis capite sequentia erunt exponenda:

» I. Institutio.

» II. Confinia.

» III. Privilegia, et prærogativæ episcopatus, archiepiscopatus, aut patriarchatus.

» IV. Numerus civitatum, oppidorum, aut locorum, qui episcopatus, archiepiscopatus, aut patriarchatus subjecti sunt.

» V. Status cathedralis, metropolitana, aut patriarchalis ecclesiæ, una cum numero canonicorum, et aliorum, servitio chori addictorum; et an erecte fuerint præbendæ penitentiarum, et theologalis.

» VI. Status ecclesiarum collegiarum una cum numero pariter canonicorum, et cæterorum, qui choris earum intersunt, et an in collegiatis erecta sit præbenda theologalis.

» VII. Status, et numerus ecclesiarum parochia-

lium, necnon aliarum ecclesiarum, et oratoriorum in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriarchatu existentium; referendo signanter, an cathedralis, metropolitana, aut patriarchalis, et collegiata, oratoria, necnon parochiales, cæteræque ecclesiæ sint sacris suppellectilibus sufficienter instructæ, et quenam ex eis habeant redditus pro fabrica assignatos.

» VIII. Numerus monasteriorum tam virorum, quam mulierum, exprimendo an aliqua ex monasteriis virorum sint subjecta suæ jurisdictioni; et an, et quæ mulierum monasteria sibi subjecta sint, vel prælatis regularibus.

» IX. An adsit in diœcesi seminarium clericorum, quot clerici in eodem alantur, an fuerit statuta taxa, et in qua quantitate, et an aliqua beneficia fuerint eidem unita, et in universum quinam, et quot sint redditus prædicti seminarii.

» X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum, et aliorum locorum piorum, quæ sunt in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriarchatu, et quinam sint eorum redditus.

» XI. An adsint montes pietatis, et quot sint, una cum aliis consimilibus, ad statum materialem ecclesiæ spectantibus; cum advertentia tamen, ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum, quæ fit ab episcopo, archiepiscopo, aut patriarcha, exhibeatur, in subsequentibus etenim relationibus satis erit, quod ipsi se referant ad primam, nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contigerit, quod referens notificandum sacræ congregationi existimaret.

» § II. De secundo relationis capite, pertinente ad ipsum episcopum, archiepiscopum, primatem, et patriarcham.

» In hoc capite exponi debent:

» I. An residentiæ præceptum, a sacris canonibus, concilio Tridentino, et constitutione Urbana præscriptum, adimpleverit, et an aliquo, et quo tempore abfuerit, et an ultra menses conciliares, et an cum, vel sine Sedis apostolicæ licentia.

» II. An, et quoties diœcesis, sibi commissæ, visitationem expleverit.

» III. An per se, vel per alium episcopum, sacras ordinationes expleverit, et sacramentum confirmationis administraverit.

» IV. An, et quoties synodum diœcesanam coegerit: et si episcopus nulli archiepiscopo subjectus sit, an ad synodum provincialem ejus archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut ejus synodo provinciali intersit, accesserit; et si sit archiepiscopus, an synodum provincialem habuerit, et quinam suffraganei eidem interfuerint.

» V. An verbum Dei per seipsum prædicaverit, et an legitimo concurrente impedimento, viros idoneos assumpserit ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum.

» VI. An habeat depositarium pecuniarum et multarum pecuniarum, et an eadem fuerint piis usibus applicatæ.

» VII. Quænam taxa, et an Innocentiana in sua cancellaria observetur.

» VIII. An aliquod habeat, quod sibi obstat, circa exercitium episcopalis officii, jurisdictionis ecclesiasticæ, necnon tuendæ libertatis et immunitatis ecclesiarum.

» IX. An aliquod pium opus peregerit pro ecclesia, pro populo, aut pro clero.

» § III. De tertio capite ad clerum sæcularem pertinente.

» In hoc capite exponendum erit.

» I. An canonici, cæterique choro addicti cathedralis, metropolitane, aut patriarchalis ecclesiæ, necnon collegiatarum, choro jugiter intersint.

» II. An, ultra matutinum, laudes, cæterasque alias horas canonicas, quolibet die celebrent missam conventualem.

» III. An quolibet die eam applicent pro benefactoribus.

» IV. An suas habeant constitutiones, et eas punctualiter observent.

» V. An, qui obtinent præbendam pœnitentiariam, aut theologalem, adimpleant quæ adimplenda sunt, et quomodo.

» VI. An parochi in suis parochiis resideant.

» VII. An librum matrimonii, et baptizatorum, aliosque libros, quos ad normam ritualis romani retinere debent, retineant.

» VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrant.

» IX. An iidem per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, juxta monitum Tridentini, et præcæti concilii romani.

» X. An saltem dominicis, et aliis festis diebus in suis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et paréntes, pueros, cæterosque, hoc adjutorio indigentes, doceant; et an, et qui eis operam præsent in hoc opere adimplendo, et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat.

» XI. An singuli parochi, cæterique curam animarum exercentes singulis dominicis, festisque de præcepto missam applicent pro populo, eorum curæ commisso.

» XII. An, et quæ præmittantur antequam quis ad primam tonsuram, et minores ordines admittatur, et an sacris ordinibus initiandi, ante cujuscumque ordinis sacri receptionem, piis meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa.

» XIII. An omnes prædicti vestes jugiter deferant clericales, et an, quoad fori privilegium, serventur disposita a sacrosancta synodo Tridentina sess. 23, cap. vi, de reform. et a constitutione SS. D. N. Benedicti PP. XIII. in eodem concilio romano emanata.

» XIV. An habeantur conferentiæ theologiæ moralis, seu casuum conscientiæ, et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur.

» XV. Quinam sint mores cleri sæcularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori.

» § IV. De quarto capite, ad clerum regularem pertinente.

» In hoc capite exponendum erit:

» I. An regulares, curam animarum exercentes, qui episcopali jurisdictioni, visitationi, et correctioni subsunt in iis, quæ ad curam pertinent, et administrationem sacramentorum, munus, sibi commissum, fideliter adimpleant juxta ea, quæ in præcedenti capite dicta sunt de parochis sæcularibus.

» II. An aliquis regularis extra monasterium degat: an aliqui adsint in diocesi, a suis superioribus, servatis servandis, ejecti, vel aliquis fuerit regularis intra claustra monasterii degens, sed qui extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo fuerit, et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit.

» III. An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum, et granciarum monasteriorum, in quibus religiosi non aluntur in numero, a sacris constitutionibus præfixo; et quinam sint religiosorum mores, in dictis conventibus et granciis degentium.

» IV. Denique, an aliquod habeat cum regularibus officiculum in exercitio jurisdictionis delegatæ in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a sacro concilio Tridentino, vel a summorum Pontificum constitutionibus, et signanter a bulla Clementis Papæ X, quæ incipit *Superna*.

» § V. De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

» In hoc capite exponendum erit:

» I. An moniales, episcopo subjectæ, suas servent constitutiones.

» II. An clausura in earum monasteriis inviolate custodiatur.

» III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepperint, qui consilio, aut auxilio sacre congregationis indigeant.

» IV. An, præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab ipso bis, aut ter in anno fuerit oblatus.

» V. An dictorum monasteriorum redditus fideliter administrantur, et monialium dotes fuerint persolutæ, et quomodo erogatæ.

» VI. An in monasteriis monialium, quæ sunt prælatis regularibus subjecta, curaverit ut clausura dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata; et an contra inobedientes, et contradictores per censuras ecclesiasticas, et alia juris remedia processerit.

» VII. An harum monialium confessarii regulares, sive ordinarii, sive extraordinarii, fuerint ab ipso approbati, antequam earum confessiones exceperint.

» VIII. An, adhibitis superioribus regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrant bona, pertinentia ad hæc monialium monasteria, regularibus subjecta: et an fideliter eorum redditus administrantur, et alia fuerint adimpleta, quæ præscribuntur in bulla Gregorii XV, quæ incipit *Inscrutabili*.

» § VI. De sexto relationis capite, pertinente ad seminario.

» In hoc capite exponendum erit:

» I. Quot sint in seminario alumni.

» II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur.

» III. Quibusnam studiis vacent, et quo profectu.

» IV. An cathedrali, et aliis locis ecclesiæ, diebus festis inservantur.

» V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum, a se electorum, necessaria pro recto regimine statuerit.

» VI. An illud aliquando visitet, et operam det ut constitutiones adimpleantur.

» VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini, eademque exigatur; et an aliqui sint in morosi in ejus solutione.

» § VII. De septimo capite, ad ecclesias, confraternitates, et loca pia pertinente.

» In hoc capite exponendum erit:

» I. An in sacristiis omnium, et singularum ecclesiarum, exposita sit tabella onerum Missarum, et anniversariorum ad tramites decretorum sanctorum Urbani VIII, et an eis punctualiter satisfactum sit.

» II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera, a testatoribus injuncta.

» III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus.

» IV. An montem pietatis, sive charitatis, visitaverit; et an idem habeat redditus, qui superabundant substantiationi ministrorum, aliisque necessariis expensis, et in quas causas redditus illi erogentur, et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam, frumentum, si agatur de monte frumentario, ab eo recipiant.

» V. An infirmorum hospitalia visitaverit, reddituum rationes ab administratoribus exegerit, et an infirmis necessaria, quoad salutem animæ, et corporis, in eis subministrantur.

» § VIII. De octavo relationis capite, ad populum pertinente.

» In hoc capite exponendum erit:

» I. Quinam sint populi mores, et an in pietate proficiat.

» II. An aliquis irrepperit abusus, aut prava quædam in eodem inoluerit consuetudo, quæ consilio indigeat, et Sedis apostolicæ adjutorio.

» § IX. De ultimo capite, ad postulata pertinente.

» Ultimo loco episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ, qui suarum ecclesiarum relationes ad sacram transmittunt congregationem, si quæ ha-

bent postulata proponenda pro suarum regimine ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti, et omnium circumstantiarum expressione; et quatenus postulata spectent ad negotia forensia, exponant an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiæ, ut, omnibus mature pensatis, possit sacra congregatio congruum suppeditare prædictis postulatis responsum.

» Et hæc sunt, quæ opportuna visa fuerunt, ut in hac instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quæ episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ pro suarum indigentia ecclesiarum, atque diocesium addenda existimaverint, sciant sibi liberum esse addere, quæ ipsis addenda videbuntur, et ad notitiam sacre congregationis deferre, quæ ex charitatis et justitiæ norma per se expediet quæ poterit, et majora ad Summum Pontificem deferet, qui fratribus suis episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit. C. card. Origus præfectus; loco sigilli; P. archiep. Theodos. secret.

« Constitutio Sixtina, inquit Angelus Lucidi, in suo eximio opere *De visitatione sacrorum liminum*, Romæ, typis S. C. de propaganda fide, 1866, t. I, pag. 32, et seqq. nullam instructionem peculiariter delineavit quam antistites in dioceseos sibi demandatæ statu describendo sequerentur. Generaliter enim duntaxat edixit eosdem rationem reddere debere « de toto eorum pastoralis officio deque rebus omnibus ad ipsarum quibus præsent ecclesiarum statum et clerum pertinentibus. » Et in constitutione *Immensa*, anni 1588, præcipit ut referant « quæ cleri populique morum disciplina sit; quæ concilii Tridentini decretorum, cum in omnibus, tum præsertim in residentia munere executionis; quæ item piæ consuetudines, et qui omnium denique in via Domini sint progressus. »

» Hinc illud factum est ut iidem antistites in reddendis episcopalis sui regiminis rationibus vel nimium late vagarentur, minimas quasque res atque a fine proposito plus et minus alienas exponendo, vel ita exinter et jejune sese cohiberent ut quæ scitu necessaria sunt desideranda relinquerent. Ne itaque hujusmodi relationes abundarent in superfluis ac deficerent in necessariis, Fagnanus, cap. *Ego N., De jurejur.* n. 73, certam rationem ac normam proposuit qua statum dioceseos in materialem et formalem dividit, et in unoquoque speciatim rerum capita congerit atque distinxit, quæ relationis materiam efformant, quam quidem rationem, normamque adoptavit Catalanus, *Comm. super pontif. rom.* § XIII, et *Van-Espen. Jur. eccl.*, part. I, tit. XV, cap. II, n. 22.

» Quod autem invenit Fagnanus perfecit Benedictus XIII. Cum enim in concilio romano, habito anno 1723, suam attentionem in hunc defectum accuratius contulisset, optaretque optimo sane consilio unam eandemque omnibus formam præscribere, mandavit Lambertino, qui in eodem concilio doctoris in decretis officio fungebatur, ut instruc-

tionem de qua agimus conficeret, prout reapse confecit, in qua Fagnani vestigia secutus, majori ordine atque accurate capita præfinit, quæ ad utrumque statum pertinerent. Eam proinde Benedictus XIII rite comprobavit, auctoritateque sua in Romani concilii actis promulgari jussit ut in posterum ad ejusdem tramites antistites omnes relationem suam exararent. Vid. Benedictum XIV, *De syn. dioc.*, lib. XIII, cap. vi, n. 40.

» Quamvis autem Lambertinus ad cathedram apostolicam proventus in appendice ad constitutionem *Quod sancta*, diei 23 nov. 1740, eandem formulam adjecisset, nihilominus quoniam solemnem promulgationem fortasse eadem instructio edita non fuerit, ex eo quod concilium Romanum universale non erat, principio et diu postea communiter ab episcopis catholici orbis in facto servata non fuit, licet in jure aliter dicendum videatur.

» Et sane; concilium Romanum licet particulare tantum fuerit, nihilominus Benedictus XIII ea occasione usus est ut aliqua decreta ad universam catholicam Ecclesiam extenderet; exemplum suppetit obligatio capitulis imposita de conficiendis constitutionibus capitularibus, tit. II, cap. iv et v, de quibus suo loco plenius agetur. Idem dicendum videtur de instructione pro conficiendis relationibus. Si enim sapientissimus ille Pontifex ad eos tantum qui concilii Romani sanctionibus obnoxii sunt, eandem formulam coercere voluisset, nequaquam ibidem ediceret: « Curent episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchæ ipsi sese conformare, et suas relationes ad distincta capita » reducere. » Quæ quidem verba, si verum præceptum ubicumque non important, tale tamen consilium præ se ferunt, quod ab omnibus sequendum sit.

» Ad hæc vero tempora nullum relinquitur dubium quin S. C. eam disciplinam invexerit ut generaliter omnibus eam sequendam ubique præscriberet. Quocirca cum assidue constanterque, data occasione in litteris quibus ad relationes respondebat, inculcavit ut suas hæc de re litteras episcoporum quisque juxta eandem instructionem conderet, illud assecuta est ut in præsentiarum ubique fere, vel nulla facta monitione, servetur. Verumtamen, si quando opus sit, urgere non desinit ut singuli catholici orbis antistites suam relationem eidem undequaque conforment. In ea re speciali laude, ut plurimum, digni videntur præsules Galliarum, quorum relationes ex maxima parte diligenter accurateque ad normam Benedictinæ instructionis exacte comperiuntur. »

ANIMADVERSIO XXVI.

DE TERMINO GRATIARUM A SANCTA SEDE
CONCESSARUM.

« Andreas SS. Viti et Modesti S. R. E. diaconus cardinalis Nigronius, Sanctissimi D. N. Pii PP. VI pro-Datarius.

» Cum super intelligentia edicti a cl. me. card. Millo, tunc prælato datario, ex oraculo sa. me. Benedicti XIV, publicati sub datum diei 25 januar. 1748, per nos renovati et confirmati sub die 8 maii 1775, insurrecta sit dubitatio ad nos, etiam in contradictorio judicio delata, in eo quod respicit terminum sex mensium in § IX ejusdem edicti præfinitum ad expeditionem cujusvis generis gratiarum; a quam scilicet die dictum tempus decurrat, putantes alii exordiam fore computationem a die rescripti, et alii a die signature supplicationis. Nos, ad hanc in posterum dirimendam hesitationem, volumus, declaramus atque decernimus dictum terminum computandum omnino esse a die rescripti, quo ex audientia Sanctissimi gratia elargitur, cujusvis generis ea sit atque speciei; et quoad beneficia, quorum gratiæ et provisiones describuntur in lista, publicari solita in aula nostræ residentie, dictus terminus decurrere incipiat a die listæ. Declarantes in reliquis firmam immotamque permansuram prærelati edicti formam et tenorem, ejusque omnimodam observantiam denuo, quatenus opus sit, præcipimus. Datum ex congregatione Datarie Apostolicæ, die 5 julii 1777. »

ANIMADVERSIO XXVII.

RATIO TRACTANDI NEGOTIA IN S. C. EPISCOPORUM
ET REGULARIUM.

Præfigitur operi multoties citato cui titulus: *Collectanea in usum secretarie S. C. episcoporum et regularium*, cura A. Bizzarri archiepiscopi Philippensis, nunc S. R. E. cardinalis, Romæ, anno 1863, edito, specimen rerum quæ in prædicta congregatione tractari solent, a cardinali de Luca in *Relatione curiæ romanæ* exaratum, et ex ipsius eminentissimi canoniste operibus desumptum. Hujus speciminis brevem notitiam hoc in loco lectori benevolo tradere juvat.

§ I tractat de erectione congregationis.

§ II de forma authentica decretorum.

§ III de negotiis quæ in ea tractantur.

§ IV de stylo deputandi ponentem.

§ V de recusatione ex capite suspicionis non admittenda.

§ VI de modo cognoscendi causas.

§ VII de modo recipiendi informationes.

§ VIII de modo decidendi et exequendi decisiones.

§ IX de modo procedendi contra episcopos.

§ X de vicarii apostolici deputatione.

§ XI de deputatione vicarii sede vacante.

§ XII de facultatibus vicario capitulari imperpetuandis.

§ XIII de negotiis concernentibus monasteria monialium.

§ XIV de negotiis et causis regularium.

§ XV de modo capiendi informationes in negotiis et recursibus regularium.

§ XVI de erectionibus et suppressionibus monasteriorum et conventuum.

§ XVII de alienationibus bonorum.

§ XVIII de aliis negotiis regularium.

§ XIX de facultate cognoscendi nonnulla negotia ad alias congregationes pertinentia.

§ XX de ratione procedendi in hujusmodi negotiis.

« Ista congregatio, inquit prælaudatus cardinalis de Luca § I, solum cardinalitia est, aliorum mixturam non habens nisi unius prælati qui secretarii munus gerat. » Sed hodie nonnulli consultores Eminentissimis Patribus adjunguntur, uti constat ex decreto nonis septembris 1834 dato, cujus tenor sequitur:

« Cum negotia majoris momenti et consultationes, quæ ad S. C. episcoporum et regularium deferuntur, fortasse ratione temporum, admodum frequentia sint, EE. PP. in generali congregatione habita in palatio apostolico Quirinali nonis septembris 1834 rati sunt rem utilem fore si, exemplo aliquarum congregationum majorum, nonnulli deligerentur quorum esset super dubiis seu questionibus, de quibus rogarentur, sententiam suam exponere, firmis tamen manentibus antiquis institutionibus, ita ut de negotiis alicujus ponderis, deque consultationibus omnibus in pleno auditorio semper deliberetur et statuatur, designato aliquo ex EE. PP. qui videat et referat. Itaque EE. PP. decreverunt supplicandum Sanctissimo pro admissione consultorum juxta modum enuntiatum.

» Et facta eadem die ad Sanctissimum D. N. Gregorium PP. XVI per D. secretarium de præmissis relatione, Sanctitas Sua decretum Eminentissimorum PP. probavitque sancivit. — C. card. Odescalchi præfectus; J. archiepiscopus Ephesinus secretarius. »

In prædicta generali congregatione, habita nonis septembris 1834, EE. et RR. PP. decreverunt ut vetus et propria S. Congregationis methodus, seu ratio tractandi negotia de quibus contentio est inter partes, accurate in posterum servetur. Est autem hujusmodi:

« I. Quotiescumque in negotiis quæ apud S. C. episcoporum et regularium aguntur, tum ex relationibus ordinariorum, tum ex partium deductionibus, videatur expedire ut res ad viam juris deducatur, rescribitur « Partes deducant sua jura coram » Eminentissimo N. qui videat et referat, citata parte et concordato dubio. »

» II. Coram Eminentissimo relatore, vel ejus auditore, adhibito SS. Congregationum notario, singuli actus, qui ad judicandum viam sternunt, conficiuntur.

» III. Propterea pars diligentior coram eodem auditore partem adversam in jus vocat « ad concordandum de dubio, alias videndum subscribi et » disputari infrascriptum » quod nempe in calce citationis transcribitur.

» IV. Eminentissimus relator sive ejus auditor vel propositum vel aliud dubium concordat de consensu partium; sin minus, mandat partes suis juribus uti per memoriales in S. Congregatione.

» V. Si pars citata infra terminum præfinitum non compareat, citatur pro secunda vice « ad concordandum de dubio, necnon destinari congregationem nem. »

» VI. Si pars in sua contumacia perstiterit, Eminentissimus relator vel ejus auditor concordat dubium, et congregationem pro causæ propositione destinat, ita tamen ut spatium saltem triginta dierum intercedat, et decretum adversæ parti per cursorem intimatur.

» VII. Jura autographa, quibus utraque pars utitur, quindecim diebus ante diem propositionis causæ apud D. secretarium deponuntur, transmissa utrinque intimatione.

» VIII. Allegationes utriusque partis decem diebus ante congregationem tum ad EE. cardinales, tum ad D. secretarium et ad secretariam S. Congregationis deferuntur.

» IX. Mutua inter partes allegationum et summariorum traditio fit eadem ipsa die in domo auditoris Eminentissimi relatoris.

» X. Responiones triduo ante propositionem causæ distribuuntur et communicantur ut in articulo præcedenti.

» XI. Resolutionem S. Congregationis Eminentissimus relator scriptis tradit et suo nomine obsignat, eamque D. secretario tradit partibus significandam.

» XII. Si intra decem dies pars victa iterum audiri postulet, Eminentissimus relator novæ audientie beneficium tribuere potest.

» XIII. Quoties cunctis suffragiis res adjudicata fuerit cum clausula « et amplius, » vel uno tantum suffragio discrepante cum clausula « et non concedatur, » tunc venia redeundi non tribuitur nisi a plena congregatione.

» XIV. Causa denuo proponitur servato modo et terminis primæ propositionis.

» XV. Dijudicata causa authenticum resolutionis exemplar ei traditur qui causam obtinuit.

» XVI. Victor instat coram Apostolica camera quæ, ut merus executor, resolutionem S. Congregationis exequendam decernit. »

Cf. *Pratica della curia Romana* « che comprende » la giurisdizione de' tribunali di Roma e dello » stato, e l'ordine giudiziario che in essi si osserva; con una raccolta di costituzioni, editti, ri- » forme, regiudicate, decreti, ec. che hanno o va- » riata o stabilita la giurisdizione e la pratica de' » tribunali fino a questi tempi. In Roma 1781, nella » stamperia di Giovanni Zempel. » In-8°. — D. Bouix, *Tractatus de curia Romana*, Parisiis, Lecoffre, 1859, in-8°. — D. Pallard, *Les ministères ecclésiastiques du Saint-Siège dans la douzième année du pontificat de Pie IX*, Lugduni et Parisiis, Pélagaud, 1858, in-12.